



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis Ioviani Pontani amorum libri II.**

**Pontano, Giovanni Gioviano**

**Venetiis, 1518**

Tumulus Marulli poetæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13534**

Franciscus tumulum statuit Pudericus, et ipsis  
 Consulit exequijs, et sibi busta parat.  
 Nec mortem timet, aut mortis mala, sed quod honorem  
 Deberi hunc cineri, funeribusq; putat.  
 Nam mortem uite pretium, finemq; laborum  
 Iudicat, et uite posterioris iter.  
 Sunt testes uite tumuli, finemq; fatentur  
 Esse quidem alterius, principium alterius.  
 Nunc urbem colit et Musas. post dona sepulcri,  
 Elysiumq; colet, Pieridasq; domos.

MARVLLI POETA E. PON=

tanus ipse loquitur.

Hoc uacuum tibi Pierides statuere sepulcrum,  
 Et Graia et Latia clare Marulle lyra.  
 Ipse etenim Aonia in sylua, atq; Heliconis in antris  
 Lætus agens, illic otia grata teris.  
 Illic formosæ ludunt ad plectra puellæ,  
 Et tecum ad choreas carmina lecta canunt.  
 Et tibi responsant syluae, Peneiadq; anira,  
 Plaudit et Ogygio roscida ripa lacu.  
 Nil præter nomen tumulo. per opacu uagaris  
 Culta, per Elysium docte Marulle nemus.  
 Hinc tibi se ad cantum adiungit formosa Corinna,  
 Cantat et ad calam os Delia culta tuos,  
 Illinc compositos exercet Cynthia saltus,  
 Exercet raro Lesbia blanda choros.  
 Nec Parca eripuit, Musæ rapuere Marullum,  
 Arnidi ne fieret grata rapina deæ.

i iiiij

TVMVLORVM

Sis felix igitur Musis comes, & tua Musæ  
Ambrosio foveant membra adamata finit.

MARINI TOMACELLI.

Dum timet hæredes nullos Tomacellus, & ipse  
Consulit exequijs, dum cauet ipse sibi,  
Hunc tumulum sibi constituit, uiuusq; locauit,  
Et dixit, lapidi sint sua uerba meo.  
Sit lapis hic, sit terra leuis, nullusq; Marinum  
Non puer, aut iuuenis, nulla puella fleat.  
Me sat sit multos uiuum fleuisse per annos.  
O' nolle cineri sic superesse meo.  
Cesset honos, cessent tot munera publica, totq;  
Regia me ignavis condat iners' que sopor.  
Quæ cœlo est pietas uocet ad se, si mea cœlum  
Respexit pietas, si mea facta deum.

IVLII POMPONII VIRI  
literatissimi.

Pomponi tibi pro tumulo sit laurea sylua.  
Ossa maris rores, myrtleaq; umbra tegant.  
Teq; tegant, artusq; tuos violæq; rosæq;.  
Ver habet, zephyros spiret, & ipse cinis.  
Stillet & ipse cinis, quas & Parnasus, & antra  
Thespia, & ipsa suas Ascras ministrat aquas.

MARIANI EREMITÆ.

Viator cum admiratione loquitur.

Huic cineri deus ecquis adest? nam carmina Musæ  
Lecta canunt, lectis assonat urna modis.